

FK. 135
67

X 2002522

Ya
3309

*Sententiae insigniores ex Cæsaris
Com. ephemeris collectae*

C. JULII CÆSARIS
B E L L U M

HELVETIO GERMANICUM,
IN

**T H E A T R O S C H O -
L A S T I C O**

DUCENDUM

INDICIT,

OMNIUMQUE ORDINUM PATRONOS

ET FAUTORES,

CUM PRIMIS


NOBILISS. ET AMPLISSIMUM

SENATUM,

SPECTATORES DECENTER
INVITAT

LYCEI DRESDENSIS

CONRECTOR.



DRESDÆ,

Literis Viduæ & Hæredum Bergeniorum.





Quantum in prima dicendi ratione proprietatis ac luminis fuerit, vel ex eo colligendum, quod non ultimum eam cognitionis ac sapientiae primi hominis testimonium faciant. Homo enim, inquit Lutherus, in innocentia & iustitia sine aliqua nova illuminatione, quantum naturae suae bonitate, intuetur omnia animalia, & sic habet eorum cognitam naturam, ut singulis aptum & naturae ipsorum conveniens nomen indicat. Divinae videlicet institutioni conforme erat, ut quae terra aleret, aura complecteretur, singula tale ab Adamo nomen ferrent sibi impositum, quod ipsam eorum naturam exhauriret. Hunc in sensum plurimi interpretum illud לְרִאשׁוֹן מִהַ יִקְרָא per quid potius reddere maluerunt; ut essentiam rerum eò evidentius innuerent. Optandum, ut quod Helmontius suo in Alphabeto naturae Hebraico gloriatur, in omnibus linguis usum proderet, & ita de naturarum essent vocabula, ut in eius cognitionem, citra omnem praeviam operam, intellectum percepta deducerent. Simile quid Tabulae suae Becherus tribuit. De qua tamen quid statuendum, haud difficile erit dicere attendenti ea, quae Scaliger apponeret: saepe diversas res iisdem vocibus diffitas nationes appellare; id quod exemplis ibi probat & confirmat. Sanè maximum confusionis fundamentum extitit, ut bene Becherus notat, quod post corruptionem, non propriis & naturam indicantibus vocabulis res significarentur. Nihilominus circulo quasi volvi videas, res & voces; ut aequè ac literis iisdem nos uti putes: quibus junctis, ut ibi vox, hic conceptus exoritur. Quorum alterutro qui destitutus, & vel rei naturam vel sermonis vim non callet satis, is ubique & in omni rerum iudicio cœcutiat, hallucinetur necesse est. Quare observatio, quae tertia Tholosano rationalis cognitionis species est, duplex studioso literarum necessaria; rerum videlicet & verborum: verborum prior, rerum potior. Optima autem utroque in genere ab optimis addiscenda eis, qui lætos olim laboris sui fructus capere se posse sperant, vel confidunt.

Hæc

*Comment. in
Genes. p. 29.*

p. 49. Sc.

*Method. di.
daet.*

*De caus. LL.
lib. 3. cap. 67.*

*Synt. Art.
Mir.*

Hæc ut de simplici denominatione cuique perspicua, ita in integris etiã orationibus locum habere, nemo dubitet: in quibus combinandis, nihil magis, ratione eã, quam habent ad se invicem, res & voces, spectandum est. Prædicat nempe omnis, etiam Grammatica oratio aliquid de aliquo, quæ proinde toties obscura, vel prorsus inepta est, quoties significatus aut nexus vocis minus attenditur. Sermonis igitur elegantia, eruditis tantopere laudata, non alibi magis, quam in proprietate perquirenda: proprietate in nativa vocum acceptione, quæ cuiusvis lingvæ vernacula putatur. Ad Latinam respiciens Kekermannum, virum scholis natum loquentem proferam; ut voces simplices, tum conjunctæ sive phrasæ inventæ & probatæ sint à gente Latina: neque iis admixtæ phrasæ heterogeneæ, sive idiotismi, aut nostræ gentis, in qua nati sumus, aut alterius, cujus lingvam didicimus aut amamus. Ut enim quælibet gens habet proprium suum sermonem, ab aliarum gentium sermonibus distinctum; ita quoque habet istius sermonis proprias partes quæ sunt 1. voces simplices, 2. vocum simplicium combinatio sive phrasis.

Patet hîc quantum aberrant scopo, cùm discipuli, tum Præceptores illi, quibus neglectâ proprietate vocis pariter, ac integræ phrasæ, nescio quis cothurnus orationis curæ est, prius quam quidpiam eorum vel tradiderint ipsi, vel memoriæ mandârint. Nec adeò infrequens hoc malum est, & plurimi Troporum & Figurarum adjumento, sæpe etiam earum nescij proloquuntur, quæ propriis verbis exprimere nequeunt. Idque omnibus contingit, quibus intempestivè indulgent Præceptores, vel suas sibi confingere formulas, vel ad quævis Lexica, ceu asylum aliquod se recipere: Poëtica sint, sive Rhetorica; dummodo sermonem nectant, Grammaticæ suæ regulis qui conformis sit. Ubi dum illi desident, & velut ad scopulos (ut inquit Gellius) apud Sirenes consenesunt, dici non potest quantum damni sibi contrahant, ab indole lingvæ, quam addiscere debebant prorsus deflectentes. A vero non alienum esse testimonio suo confirmabunt omnes, quibus aliud, quam insulsæ circum-scriptiones, cordi est, & confusum tale ac undiq; collectum chaos, quod post se trahit institutum illud, damnant. Neutiquam tamen rejicio Oratorias descriptiones, quippe quæ suo loco non sine svavitate adhibentur. Mea facio quæ Erasmus scribit: Vera emendatè loquendi facultas optimè paratur cùm ex castigatè loquentium colloquio convictuq; tum ex eloquentium Au-

*System.
Tom. 1. In-
troduct. ad
Cic. p. m.
1275.*

*De ratione
studii.*

torum assiduâ lectione. Optimi autem & probatissimi cu-
jusq; ætati & profectibus convenientes feligendi, quos ad eò
familiares sibi discentes reddant, ut ipsis propositi Autoris
verbis non tantum, sed penè formulis iisdem sua loqui &
proferre sciant.

*de ratione
studii.*

*Prefat in 8.
Libr.*

Hunc in finem Cæsaris Commentarios discipulis meis
legendos dedi, motus castitate illa sermonis Latini, qui erat
in prisca Romana nobilitate, quâ nihil fingi potest tersius, ex-
politius, elimatius; quomodo Lud. Vives hoc de Autore ju-
dicat. Nec verò alii probatæ item eruditionis, ac passim per
orbem literatum noti scriptores ab hoc dissentiunt, quorum
vel integrum catalogum texere possem, si verbis opus ha-
berem, ubi rei adest testimonium. Licet enim hos ipsos li-
bros in castris, & succisivis quidem horis Cæsar scripserit,
quod Commentarii nomen arguit (quæquam hos Cæsaria-
nos in maximâ laudem eorum, pleniores dicit Hirtius, quàm
quibus aliquid addi possit) tantâ tamen curâ confecit ac dili-
gentiâ, ut vel ab hostibus, inter quos erat & Cicero, laudem
invenerint: autoribus & ipso Cicerone & Svetonio. Hoc ipso
verò magis commendandus, & eò mihi loqui rectius vide-
tur, quod natus in familia nobilissima, quæ patriæ linguam
retinuerat, ipse optimâ doctrinâ cultus. Quoniam etiam
rebus gestis ipse, qui scripsit, interfuit, eò majorem ei debe-
mus fidem, non moti, quæ Franciscus Floridus & Ludovi-
cus Carrio contrâ sentiunt: quorum ille tres de Bello civili li-
bros, hic septem de Bello Gallico, Cæsari abjudicat. Cæte-
rum longè jucundissima est hæc Cæsaris narratio, non tan-
tum eò, quod patriæ monstret limites, sed multò magis
quod Germanorum nostrorum prisca illius ævi justitiam &
fortitudinem tam eximiis laudibus exornet. Qui fructus igi-
tur Agathii judicio electione Autorum petendi sunt, ut bene
& dicere & facere discamus, pulchrè omnino in his Com-
mentariis colligendi. Etsi enim virtus nunc languidior est;
tamen bonæ mentes non possunt non delectari, ubi quæ de-
sideramus hodiè, vel majorum olim fuisse reperiunt, simul ut
& patriam ament & virtutem, incitari. Taceo, quàm ho-
noricum sit, habere majores nostros testem & præconem
virtutis suæ, non Homerum fabulosum, aut Pindarum, sed
ducem tantum, qui & res maximas gessit armatus, & victor
imperium orbis terrarum legibus sapientissimè constituit. Et
hoc ipsum est, quod Vossius hoc in Autore poscit legentem
attendere: quæ nempe ad instituendam bene vitam spectant,
non minus, quàm quæ ad formandum stylum pertinent.
Hæc eò dico, inquit, ne cujusquam judicium ab lectione
commen-

*De Histor.
Lat. p. 62.*

commentariorum Cæsaris absterreat juventutem. Quæ, pro pudor, satis infreqvens est in nobilissimo atq; adeò divino hoc scriptore. Aut si quibus in manibus sit, haud alio legunt fine, quàm ob eximiam Romanæ lingvæ puritatem, verborumq; proprietatem summam: Super quo ante nos non semel summi viri sunt conqvæsti. Sanè ex eo haurire est maximarum & utilissimarum rerum copiam: quam qui verborum elegantia contenti, negligunt, minus etiam pueris sapiunt, qui nunquam ita se arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant. Quod ne dubitet aliquis, insigniores ex eo sententias, commodo juventutis collectas dabo, quæ fidem si non inveniunt, extorquent.

Bel. Gal.
Lib. I.

Consueverunt Dii immortales, quo gravius homines ex rerum commutatione doleant, quos pro sceleribus eorum ulcisci volunt, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.

De populatis agris, non facile ab opidis hostium vis prohiberi potest.

Jus belli est, ut ii, qui vicerunt, iis quos vicerunt, quemadmodum volunt, imperent.

Tantum in se boni habet constantia, ut qui aliquamdiu inermes sine causa timuerunt, eosdem postea armatos ac victos superent.

Faciunt arroganter milites, qui de Imperatoris officio desperare, aut ei præscribere videntur.

Stipendium jure belli victores victis imponere consueverunt.

Rebus ad luxuriam pertinentibus hominum animos relangvescere, eorumque remitti virtutem constat.

Lib. II.

Multa facilia ex difficillimis animi magnitudo redigit.

In miseros ac supplices misericordiam utendum.

Omnis spes salutis in virtute ponenda.

Lib. III.

Omnes homines naturam libertati student, & conditionem servitutis oderunt.

Occasio negotii bene gerendi amittenda non est.

Fere libenter homines id, quod volunt, credunt.

In spe victoriae redintegrari plerumque vires solent.

Qui rumoribus atque auditionibus permoti, de summis rebus consilia ineunt, eorum illos est vestigio poenitere necesse est.

Lib. IV.

Qui suos fines tueri non possunt, alienos occupare verum non est.

Expectare dum hostium copiae augeantur, summae dementiae est.

Plebs propter imprudentiam plerumque labitur.

Lib. V.

Consilium pro tempore, & pro re capiendum.

Timet atque deficere eum omnia videntur, qui in ipso negotio consilium capere cogitur.

Quid levius aut turpius, quam auctore hostes, de summis rebus capere consilium.

Errant qui ab iis quidquam praesidii sperant, qui suis rebus diffidunt.

Consuetudo populi Rom. non patitur, ullam accipere ab hoste armato conditionem.

Innocentes pro nocentibus poenas pendere iniquum est.

Lib. VI.

Sæpe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est.

Ex pecuniae cupiditate factiones dissensionesque nascuntur.

Lib. VII.

Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest
Multum fortuna in repentino hostium adventu potest.
Puniendi delinquentes, ut sint reliquis documento, & magnitudi-
dine poena perterreant alios.

Salutis publicae causa, rei familiaris commoda negligenda.

Quorum in finibus bellum gerit Imperator, eorum opibus sublevatur.

Plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit.

Errant, qui in bello omnes secundos rerum eventus expectant.

Res adversae Imperatorum autoritatem minuunt.

Magna ex dissensionibus incommoda oriri consueverunt.

Nihil adeo arduum, quod virtute consequi milites non possint.

Non minus in milite modestia & continentia, quam virtus atque
animi magnitudo desideratur.

Animi est ista mollicies, non virtus, inopiam paulisper ferre non
posse. Qui se ultro morti offerunt, facilius reperiuntur, quam qui do-
lorem patienter ferant.

Omnia plerumque quae absunt vehementius hominum mentes
perturbant.

de B. C.
Lib. I.

Sepe in bello parvis momentis magni casus intercedunt.

Acerbum est, quod ab altero quis postulat, in se recusare.

Non minus est Imperatoris consilio superare, quam gladio.

Plerumque hominibus nimiam pertinaciam atque arrogantiam acci-
dere solet, uti eo recurrant, & id cupidissime petant, quod paulo ante
contempserint.

Est hoc omnibus semper datum Imperatoribus, ut rebus feliciter
gestis, aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum rever-
tantur, exercitumque dimittant.

Lib. II.

Communi fit vitio natura, ut invisis, latitantibus, atque incogni-
tis rebus magis confidamus, vehementiusque exterreamur.

Est rerum omnium magister usus.

Quae volumus & credimus libenter, & quae sentimus ipsi, reli-
quos sentire speramus.

Felicitas rerum gestarum exercitus benevolentiam Imperatori-
bus, & res adversae odia conciliant.

Uti corporis vulnera, ita exercitus incommoda tegenda sunt, ne
spem adversariis augeamus.

Sui laboris milites semper eventu belli praemia petiverunt.

De suis homines laudibus libenter praedicant.

Una in miseris rebus spes reliqua salutis.

Lib. III.

Hoc unum est tempus de pace agendi, dum sibi uterque confidit &
ambo pares videntur. Si vero alteri paulum modo tribuerit fortuna,
non est usus conditionibus pacis is, qui superior videtur, neque erit
aequa parte contentus, qui se omnia habiturum confidit.

Plerumque in novitate fama antecedit,

Fortuna quae plurimum potest, cum in reliquis rebus, tum praeci-
pue in bello parvis momentis magnas rerum commutationes efficit.

Parvae res magnum in utramque partem momentum habent.

Si non omnia cadunt secunda, fortuna est industria sublevanda.

Est quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata
omnibus, quae studio pugnae incenditur; hanc non reprimere, sed augere
Imperatores debent. Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa
undi que concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus & ho-
stes terreri, & suos incitari existimaverunt.

Plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt.

Ple

Pleramq; accidit diuturnitate, ut consuetudine diligentia minuatur. Hirtus B. G.
inflantur atque incitantur hostium animi secundo praelio. Lib. VIII.

Homines detrimento admonentur.

Causa peccati facillime mortuis delegari solet.

Terror hominibus mentē consiliumque eripit, & membra debilitat.

Splendidius atque honestius contra Regem, quam contra conve- Bel. Alex.
narum ac fugitivorum manum bellum geritur.

Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad du-
riorem casum reservat.

Auctoritas plurimum adest victori.

Ad explicandos sumptus militares pecunia necessaria est.

Nihil se libentius facere dicitabat Cæsar, quam supplicibus igno-
scere.

Dii immortales cum omnibus belli casibus intersunt, tum præcipue
iis, quibus nihil potuit ratione administrari.

Contra magnam vim hostium artificio magis, quam viribus decer- Bel. Afr.
tandum.

Satius est imperatori sibi suoque regno subsidio ire, quam dum
alios adjuturus proficiscitur, ipse suo regno expulsus forsitan utraque
re expellatur.

Proprium gaudium bellantibus tribuere fortuna non decrevit.

Milites quotidiano labore, sæpe idem faciendo, in negligentiam ad-
ducuntur.

Quum verò omnis profectus, juxta Isidorum, ex lectione & me- Lib. 3. de
ditatione procedat; quæ enim nescimus lectione discimus, quæ di- summo bono.
dicimus, meditationibus conservamus, commodum fore ratus disci-
pulis meis, ad imprimendam sibi eò feliciter Cæsar's elegantiam,
Bellum Helvetio Germanicum, à Frischlino quondam felicissimo la-
bore scriptum, ipsis agendum distribui, adeoque phrasi Cæsariana
loquentes in Theatrum Scholasticum prodire jussi. Argumen-
tum utriusque belli Glandorpius ita carmine recenset.

Cæsar ut Helvetios per Gallicarum a paratos

Irruere, & validam sensit adesse manu,

Tendit iter contra, memorandaque praelia miscens,

Bis centena virum millia sternit humi.

Inde ad Germanos conversus Marte superbos,

Quis Ariovistus rex generosus erat,

Fortia victrici profligat pectora dextrâ,

Letaque fit demto Sequana terra jugo.

Hæc sequentes dabunt, Patronis ob pietatem suam & in-
dustriam de meliori, commendandi discipuli, quorum nomina con-
sueto nobis more apponere debui.

Prologus, Abraham Gottlob Vogler / Dresdensis.

Labienus, Joh. Abrah. Grietner / Schönfeld.

Liscus, Casparus Frieder. Grosse / Coslizens.

Confidius, Melchisedech Bergen / Dresdens.

Thrasymachus, Joh. Jacobus Donati, Dresd.

Lydus, Georg. Christoph. Andreae, Blanckensteinens.

Cæsar, Johann Gottfried Müller / Mülbergens.

Divi-

Fkya 3309

- Divico, Georgius Schmid/ Locvicens.
- Divitiacus, Joh. Gottfried Beutel/ Misnens.
- Tusnelda, Joh. Friederich Schwald / Dresd.
- Procilius, Joh. Christoph. Braun / Strignizens.
- Ariovistus, Gottlob Eberti/ Elstrâ Lusat.
- Nasua, Gottfried Nathanael Schmied / Lavvenstein.
- Titius, Andreas Beerfackel/ Dresd.
- Brutus, Joh. Jacobus Barthel / Papendorf.
- Cylinder, Petrus Löwe / Dippoldisylv.
- Minorix, Andreas Meyer/ Lipsiens.
- Theuda, Erhardus Musculus, Wilstruf.
- Epilogus, Joh. Friederich Tannenberg/ Dresd.

Præter hos alii prodibunt, ministrorum & militum personas sustinentes, alio, cum Deo, Actu probaturi, se non indignos quorum nomina cum diligentibus memorentur. Omnes autem rei nostræ scholasticæ Patronos & Promotores, quâ decet singulos submissione enixè rogatos cupio, velint proximo, Deo volente, die Lunæ secundâ pomeridianâ sui nobis copiam facere, & ad spectandum bellum hoc, quod sine cæde, sine sanguine, nullius cum periculo nostri gerent in ædibus, quæ nuptiarum solennitatibus ab Amplissimo Senatu extructæ sunt; benevolè comparere. Excitabitur ita discentium industria, quæ perhonorificâ vestrâ præsentia multum gloriabitur, idque præmium suo labori constitutum dari, majori animi ausu lætabitur. In me verò si quid fuerit, quo studia mea atque officia, bonis aliàs dicta & dicata vobis præstare & probare queam, faxo, nihil mihi potius esse, intelligatis.

Intim, p. 165.

Vos verò, dilectissimi discipuli, priusquam calamum pono, verbis Johannis Saxonii denuo mihi hortari liceat. Vos adolescentes præcipuè amate Julii scripta propter sermonis genus. Nullius sunt in tota lingua narrationes rectiores. Nam consilio, rerum ordine, proprietate verborum & perspicuitate, omnibus Julianæ antecellunt. Et tota forma orationis pura, propria, venusta & interdum mollibus metaphoris, non procul accersitis, distincta, plurimum gratiæ habet, ac ad phrasin lectori parandam, & ad parabilem facundiam, utilissima est. Etsi enim Ciceronis oratio splendidior & amplior est: tamen ejus ambitiosas periodos, ne illa quidem ætate eloquentissima, multi imitari potuerunt: quæ quidem præsertim in texendis narrationibus aliquid afferunt impedimenti, ut ostendit historia Pontani, qui dum effingere periodos Ciceronis conatur, sæpe admodum lentas & frigidas narrationes efficit. Hæc verò Juliana, nativa, candida, & sine affectatione fluens oratio, multò & ad usum nostrum accommodatior est, & in narrationibus illustrior. Experientur itaque omnes studiosi: plurimum sibi & ad loquendum, & ad scribendum prodesse JULII lectionem. P.P. die XIX. Augusti A.P. V. M. DC. LXXXII.

210



FK.135
67

X 2002 522

Ya
3309

*Sententiae insigniores ex Cæsaris
Com. extenuis collectae*

C. JULII CÆSARIS

B E L L

HELVETIO GE
IN

T H E A T R O

L A S T

D U C E N T

I N D I C I

O M N I U M Q V E O R D I N

E T F A U T O

C U M P R I

N O B I L I S S . E T A

S E N A T

S P E C T A T O R E S

I N V I T

L Y C E I D R E S

C O N R E



D R E S I

Literis Viduae & Hæredum

